



DE
FEBRIS MALIGNAE
EX
HECTICA ORTV EIVSQVE EVENTV

PRAESIDE
VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
D. ADAMONIETZKI
PRAECEPTORE AETERNVM SVSPICIENDO

DIE VIII. MART. MDCCCLXVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS LENTNER.

VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYRIS CVRTIANIS.

W. A. 3. 6. 13

102

76

1769, 4.



22

REACTORIO ABBONDIAMENTO
 D. ADAMO NIENTI
 DIRETTORE
 CAROLINE FRIDRICH LEINER
 HANAU MAGDEBURG



V I R O
EXCELLENTISSIMO. DOCTISSIMO
D O M I N O
GOTTLIEB. BENIAMIN
K L O S E

RECTORI. SCHOLAE. NEAPOLITANAE

APVD

VRATISLAVIENSES. SPECTATISSIMO

ERVEDITO. PHILOSOPHO

VARIO. LITTERARVM. GENERE. SPLENDIDO

FAVTORI. AMICO. PRAECEPTORI

SVMMOPERE. COLENDO



HAS
PLAGVLAS. ACADEMICAS

VT

PVBLICVM. DECENTIS. OBSERVANTIAE. DOCUMENTVM

OFFERT

CAROLVS. FRIDERICVS. LENTNER

DIE VIII MARTII MD CCLXVIII.


DE

FEBRIS MALIGNAE

EX

HECTICA ORTV EIVSQVE EVENTV DISSERTATIO.

§. I.

 Eorum etiam casuum pertractationem, ubi nos definire videtur medendi scientia, summae utilitatis esse, nemo difficulter intelliget, praeter alia comoda veri nominis, Medico exinde oboriunda, vel id solum considerans, rectius institutam prognosin multum valere ad famam eiusdem modo stabiliendam, modo firmandam. Eadem est, quae me impulit ratio, ut sollicitus de themate quodam, sub Praefidio *Optimi Praeceptoris* defendendo, de febris malignae ex hectica ortu eiusdemque evenstu disserere mihi sumerem. In quatuor potiora momenta sponte abit tractatio, quorum primum et alterum necessaria quaedam principia, ex hecticae atque malignae febris theoria petenda complectitur, tertium vero posterioris ex priori ortum exponit, ultimum demum argumenta suppeditat, cur eadem morte stipari deprehendatur. Quod ad methodum attinet, tum in hac disputatione, tum altera, quae ad sequentis diei sollemnium referuatur, methodo utar demonstratiua; non deterritus risu eorum, quibus omne systematicum sordet, et qui temere iudicant de eiusmodi rebus, licet nec a limine salutata Philosopho.

Iosophia. Nihil enim aptius est ad significandum ordinem auctoris in cogitando, atque nullibi laculentius pater, si precaria quaedam principia admittantur. Dictionis etiam elegantiae minus studebo, vbiunque contraria foret perspicuitati, ratus, libellos meos specimina medica et non exercitia esse stili, ludimagistro cuidam offerenda. Qui me ideo rodere delectent, me rodant. Multitudini placere nec spero, nec opto, sat contentus, si doctis quibusdam opera mea non plenarie displicuerit.

§. II.

*Quaedam
ex historia
febris len-
tae et hecti-
cae.*

Observatur quandoque, in debilioribus praesertim subiectis, febrem oboriri continuam, per aliquot menses, immo adhuc longe diutius se protrahentem. Pulsus apparet esse debilis, nullus adest somnus reficiens, vires sensim sensimque magis franguntur, habitusque corporis extenuatur. Morbo de die in diem aucto atque ad insignem gradum perducto, excretiones sic dictae colliquariae prodeunt, siue eae, quibus ingens copia lymphae e corpore secedit. Communiter id fieri solet per sudoris aut alui, rarissime per urinae excretiones, atque sub earundem continuatione id, quod adhuc virium et carnis restabat, consumitur, morte tandem tra-goediam finiente.

Conf. Excell. Praesid. Elem. Pathol. vniuers. §. MDCXX.

Enarratis quidem momentis non totam absolui historiam febris descriptae ingenue fateor; sed ea tantum referre animus erat, quae ad propositum meum faciunt.

§. III.

*Notio fe-
bris lentae
et hecticae.*

Febris continua chronica, cum manifesta corporis extenuatione semper crescente connexa *lenta* vocatur: eadem eminentis gradus, *hectica* audit.

Conf. Id. *ibid.*? §. MDCXIX.

§. IV.

§. IV.

Definitas febrium species in iis casibus provenire compertum est, vbi de infarctus, scirrhi, exulcerationis in viscere quodam, vel eiusdem in alia parte, omni vasorum genere abundante, praesentia constat.

Quinam eadem subiciantur?

Conf. Id. ibid. §. MDCXXI.

§. V.

Ex natura morborum, qui §. antec. commemorantur, intelligi potest, cur febris exinde oboriatur. Omnes eorum stases sibi vindicare vel obstructions, principia Pathologiae perhibent: hae vero causam febrium generalem constituunt, per principia eadem. Ergo veritas propositionis apparet.

Ortus febris ex morbis modo dictis.

§. VI.

Euieta hac vniuersali sententia, ad magis specialem progredior, qua ostendi iam debet, eosdem morbos §. IV. ad inducendam extenuationem corporis viriumque consumptionem semper in crescentes idoneos esse.

Scholion.

§. VII.

Infarctis visceribus, vel scirrhosis factis, vel exulceratis, lymphae decenter elaborari nequit. Permeabilitatem viscerum ad sanguinis boni confectionem requiri, Physiologorum scripta consentiunt. Sed infarctu, scirrho, exulceratione praesente, eorum permeabilitas laeditur, §. V. adeoque etiam boni sanguinis confectio non rite succedit. Sanguini autem responderi lymphae, utpote fluidum ab eo feceretur, quo itaque minus rite elaborato, ipsa rite elaborari nequit.

Exiisdem mala confectio lymphae.

§. VIII.

Suborta exulceratione, lymphae massae humorum subtrahitur. Arterias lympham exhalantes vbique per cellulosam dispergi docet Anatomia^a). Praesente ergo exulceratione, quippe quae solutionis

Ob exulcerationem iactura lymphae.

nis

nis continui speciem refert, multas earum vario modo solutas esse, fluidumque effundere suum oportet. Hac accedit, quod etiam vasa irriterentur, sicque copiosius liquidum stillent. Communi autem experientia constat, materiam cauo ulceris, nondum consolidari incipientis, contentam rapi in motum intestinum, qui mixtionem eius inuertit. ^{b)} Lympha adeoque ibidem collecta eandem mutationem subit, pars massae humorum esse cessat, consequenter ei subtrahitur.

a) Conf. Halleri Prim. Lin. Physiol. §. XLIII, DCCCCLIX.

b) Clarioris intelligentiae causa hic inter materiam ulcerosam et materiam in ulceris cauitate contentam discrimen pono, ita ut posterior mixtione adhuc gaudeat naturali prior vero per motum intestinum mutata sit.

§. IX.

Confectarium.

Inde liquet, magis insignem fieri lymphae iacturam, si, praeter citatas arterias, venae quoque lymphaticae tendant ad locum affectum. Quod ergo praecipue obseruabitur *viscere quodam* *) *vel alia parte, omni vasorum genere abundanti, exulceratis.*

*) Maxime in eiusdem superficie, qua vbique reperiuntur. Conf. Id. ibid. §. LV.

§. X.

Materiae ulcerosae resorptio huiusque effectus.

Pars materiae ulcerosae ad humorum massam deferri atque lympham corrumpere debet. Eodem modo, ut de exhalantibus praecipiebatur §. VIII inhalantes quoque canales distribuuntur, ad resorbendum vaporem, qui telam cellulosam irrorat, destinati. *) Nullum itaque dubium superest, quin ii, materia ulcerosa praesente, partes eiusdem tenuiores extrahant, venis maioribus, quibuscum nectuntur, adducendas atque sanguini demum immiscendas. Quo sensim sensimque per nouam semper materiam aduectam corrupto, lympa, quum eidem respondeat §. VII. ipsa necessario corrumpetur.

*) Conf. id. ibid. §. LI.

§. XI.

§. XI.

Maior dicta §. antec. resorptio et corruptio erit, quando exul- ^{Maiores in}
cerationes vera febre stipantur. ^{febre.} Euanescentia adipis cito facta in
 obeso corpore, febre correpto, vasculorum inhalantium actionem
 sub febre valdopere intendi demonstrat. Maior ergo tum etiam
 materiae vlcerosae resorptio erit. Quum porro ab eadem depen-
 deat corruptio lymphae §. antec. haec ipsa eidem proportionata,
 adeoque maioris gradus esse debet.

§. XII.

Materia vlcerosa deterior, immo putrida fieri potest. Ob- ^{Materiae}
 seruationibus chemicis constat, corpora animalia, intestino in motu ^{ulcerosae}
 constituta, non neglectis quibusdam conditionibus, utpote decente ^{putredo.}
 mora, praesentia aeris, calore, humiditate, eundem motum fer-
 mentatorum constanter seruare, eoque sensim intenso mixtionem
 eorum magis magisque inuerti et deprauari, tandemque veram
 prodire putrefactionem. Materia ergo vlcerosa, animale quod-
 dam corpus quum referat (per experientiam) motu intestino mu-
 ratum §. VIII. n. b. positis iisdem conditionibus etiam sensim de-
 terior, immo putrida euadere potest.

§. XIII.

Vnde apparet, in hoc casu *lympham eo magis corrumpi, immo Confecta-*
eidem ipsum putridum immisceri §. X. et antec. ^{rium.}

§. XIV.

Dictae §. XII. materiae vlcerosae corruptiones difficiliter oborien- ^{Quando}
tur in exulcerationibus externis, quam in internis. In prioribus enim ^{facilior}
 ob absterfionem materiae, quae ibidem facillime fieri potest, mora eius ^{materiae}
 dem longe breuioris est temporis; momentum itaque saltim quoad par- ^{ulcerosae}
 tem excluditur, summe necessarium ad maiores vlcerosae materiae cor- ^{ruptio?}
 ruptiones per §. antec. Ergo ipsae difficulter quoque oboriantur.
 B Con.

Contraria ratione sese res habet cum exulcerationibus internis. Aditus ibi fere semper Chirurgo praeccluditur, consequenter materia viscerosa perquam diu stagnare potest. Plura ergo, ceteris licet paribus, quum in promptu sint requisita ad maiores eiusdem corruptiones; hae ipsae cum effectibus suis §. antec. enarratis longe facilius prodeant, oportet.

§. XV.

Extenuatio corporum, eorundemque vel aliarum partium, omni vasorum genere abundantium, exulcerationibus proposita sunt, luculenter apparet, quare sunt in vobis morbos extenuatio corporis viriumque consumptio semper increde et quomodo fiat?

Lympham vel defectu peccantem, vel qualitate, nutritionem non rite perficere, Pathologia abunde praecipit. Morbis autem nunc recensitis vel portio quaedam succi nutritii massae humorum subtrahitur §. VIII. IX. vel idem minus decenter elaboratur §. VII. vel massae cuiusdam deprauatae immo putridi ipsius admixtione corrumpitur §. X. XIV. vnde facile colligi potest, sic omnino imminui nutritionem. Qua vero imminuta abrasae fibrarum moleculae non restituuntur, sensim adeoque cohaesio earundem minuitur, corporisque extenuatio succedit. Sed a iusta cohaesione fibrarum vires dependent: ergo hae etiam necessario confumentur. Quum demum semper particulae quaedam aliae abradantur, nunquam restituendae; (per demonstrata) vides, cur defectus iustae cohaesionis, atque sic virium et corporis decrementum semper increfcat.

Huc accedit in hectica, quod ob fibrarum indeque etiam vasorum excretoriorum debilitatem notabilis lymphae copia excernatur, atque ideo tabes plenaria acceleretur.

§. XVI.

Scholion. Expositis ita quibusdam principiis ex lentae febris et hecticae theoria petitis atque ad meam tractationem facientibus, circa
aliam

aliam eius partem versari incipio, vbi febris malignae ex hectica ortus explicatur. Rursus nonnulla de illius indole praemittenda praemittam.

§. XVII.

Morbus malignus est, cuius materia in alius subiecti corpus importata in eodem similem morbum producere potest. *Febris maligna* dicitur ea continua acuta, quae instar morbi maligni apparet.

Notio morbi maligni et febris malignae.

Conf. Excell. Praef. Elem. Pathol. vniuers. §. LXXVI. LXXVII. MDXLVI.

§. XVIII.

Observatio accurata docet, in hoc februm genere sequentia notatu dignissima deprehendi, virium nempe prostrationes eximias, pulsum debilem, paruum, quandoque mirum in modum obscurum, anxietates praecordiorum iam ante horroris aduentum conspicuas, magis vero sub eiusdem duratione vrgentes, quibus omnibus se non raro adiungunt affectus lipothymici, conuulsui. Aegrotantium exhalationes odorem volatilem mox vrinae putridae, mox alio similem, mox subdulcem, mox vappidum, mox subacidum referunt. Sanguis, modo artis, modo naturae beneficio excretus, foetidus apparet et tenuis, corporaque statim post mortem foetere, turgere, liuescere nec fecus ac si in liquamen resolui videantur, putrescere solent. Salutariter demum hae febres soluantur per morbosae materiae exterminationem quarum optima est, quae diapnoe perficitur, aut leni sudore.

Historia febris malignae.

Id. ibid. §. MDXLVII. sq. MDLII. Schol.

§. XIX.

Ex putredine corporum febribus malignis demortuorum interfecta atque citissime ingruente, ex odore, quem spirant subiecta vicia eiusdem decumbentia, massis animalibus putrescentibus simili, ex foetore et tenuitate sanguinis, quomodocumque excreti atque morbi acuto decursu concluditur, causam februm malignarum esse putridam.

Causa februm malignarum.

dam massam humorum, sed rarefactam, stases atque obstructions efficientem.

Breuitatis studiosus optime superfedere possum demonstratione huius propositionis vberiori, quum hoc iam iam multoties factum sit ab auctoribus variis; inter quos praecipue conferri meretur Excell. Praefes libr. cit. §. MDXLVIII. MDCIII. nec minus D. Ludolf Medicinae praemature ereptus in egregia disputatione de Impedimentis circa solutionem februm malignarum maxime salutarem obuiis Halae cLo Io CCLVIII. §. IV. XVI. XVII.

§. XXI.

Massae humorum possibilis putrefactio.

Massa humorum ob putridum eidem admixtum ipsa putrescere potest. Confecta inter Chemicos res est, omne huius conditionis productum sustinere vicem fermenti, siue eiusdem corporis, quod in alio motu intestini seu fermentationis compote eandem producere valet. Vltro itaque intelligitur, massam humorum, quippe quae fermentescibilis est, (per princ. Chem. atque Pathol.) a putrido rari posse in fermentationem. Quum porro fermentum in motu intestino iam constitutum huic similem in corpore fermentescibili exciter (etiam per princ. Chem.) idem motus, qui in putrido obtinet intestinus, in massa humorum excitari, adeoque ipsa putrescere potest.

§. XXI.

Massae humorum putridae rarefactio.

Massa humorum sic putrefacta rarefieri potest. Semper intendi putredinem in humoribus nostris, si nihil obstitit, obseruationes Pathologorum accuratius institutae probant: *) huic autem intentae rarefactio simul competit, in idem consentiente Chemia. Ergo euicta est propositio.

Motum sanguinis celeriore, qui in omni febre, adeoque in hectica etiam obtinet, non tollere possibilitatem mutationum, quae in hoc et ant. §. commemorantur, vel inde liquet, dum hic ipse ob resolutionem humorum, qua frequenter stipatur, potius ad putredinem disponit.

*) Musl.

*) Multum facit ad illustrandam sententiam sequens exemplum. Sanguis scorbuticorum in morbi initio niger atque grumofus apparet, deinde vero effectibus putrefactionis sese vberius manifestantibus, tenuis et colore coccineo praeditus esse deprehenditur. Conf. Praef. Elem. Path. §. MCLXXXVIII.

§. XXII.

Omnibus nunc praemissis, quae considerari debent instar principiorum, iam exinde merito colligendum erit: *febrem malignam ex hectica febre oriri posse*. Haec enim interdum sibi vindicat exulcerationes §. IV. in quibus materia putrida generari potest §. XII. ab inhalantibus vasis, febre multum iuuante, absorbenda, et ad massam humorum deferenda §. X. XI. Eadem vero sic inquinata vt demum putrescat et rarefiat possibile est §. XX sq. qua eius mutatione inducta facile stases producuntur et obstructions (per princ. Pathol.) ipsaque febris maligna generatur. §. XIX.

Ortus febris malignae ex hectica.

§. XXIII.

Sed cur fit, obiiciet quispiam, vt non semper obserues malignam febre oriri ex hectica, licet haec originem duxerit ab exulceratione. Multa sunt argumenta, quae ad dubium hoc excludendum aptissima iudico. Primo attendendum erit ad qualitatem materiae vlcerosae, quae si vere iam putrida ad massam sanguineam deferatur, magis vim exercere poterit, prout fermentum, quam si minori gradu corrupta foret. Deinde etiam negligi non debet eiusdem materiae quantitas, minor enim copia, ceteris paribus, minorem sibi vindicabit effectum. Porro particulae vlcerosae humoribus immixtae obuolui possunt ob motum eorundem continuum, ita vt illarum actio multum impediatur. Huc facit interdum ipsius febris praesentia, quamuis id primo intuitu contradictorium videatur propositioni Schol. §. XXI. defensae. Sed facile meas in partes abibit saniori imbutus Pathologia, quippe quae docet, et resoluui posse spissum a febre et fluida inspissari *). Pone

*Obiectio-
nis solutio.*

posterius, nonne materia putrida etiam magis impacta haerebit in humoribus spissis, et ob hanc ipsam spissitudinem febris maligna arcebitur, suffocata fermenti agilitate? Nec silentio praetereundum erit obstaculum aliud, quod origini huius febris opponitur. Diaphoresis enim immo ipsae excretiones colliquatiuae in promptu sunt, magnam deprauatae materiae partem exterminare valentes. Tandem quoque ad varia medicamenta respici debet, quae ex his morbis aegrotantibus propinquantur, et simul ut balsamica sese gerunt, exemplo corticis chinae. Haec sunt potiora impedimenta, satis, me iudice efficientia, in quibus autem enucleandis prolixior esse nolui, quum haec tota tractatio minus spectet ad finem mihi praefixum. Id solum adiungo, eo minus febrem malignam prodire posse, quo plura in casu obuiuo ex momentis modo citatis, simul existant.

Conf. Excell. Praesid. egregia disputatio de febribus complicatis in genere §. XXXI.

§. XXIV.

Observatio.

Nunc postremam disputationis partem ordiri licet, quae phaenomeni cuiusdam notabilis rationem in se comprehendit. Experimentiae enim fide constat, febres malignas ad hecticas accedentes cum euentu lethali coniunctas esse.

§. XXV.

Notio febris complicatae.

Febris complicata est morbus, qui ex febribus saltem duabus componitur.

§. XXVI.

Mors in complicatione februm ex debilitate notabili.

Quando febres inter se complicantur, singulae cum notabili corporis debilitate connexae; non difficulter intelligi poterit, cur haec tota complicatio per mortem soluat. Ad quamcunque febris salutarem solutionem, siue per eccresin, siue per metastasin, siue per assimilationem contingere debeat, vires aegrotantis sufficientes requiri,

requiri, ex Pathologia compertum habemus. Sub hypothesi autem nostri casus ex duplici ratione defectus earum sat conspicuus ponitur; gradus itaque maximi sit, oportet. Quum vero sic deficiant conditiones, ad bonam febris solutionem necessariae: assumptum in fronte §. non destitui veritate, vltro patebit.

§. XXVII.

Si adeoque ad complicationem efficiendam febris hectica et maligna concurrat: idem de solutione eiusdem tenendum erit, quod §. antec. euictum exstat. Vtraque enim insigni stipata incidit debilitate, prout id earum historia §. II. et XVIII. significat. Vidimus autem §. antec. eiusmodi febribus inter se complicatis, quarum singulae sibi eminentem debilitatem vindicant, non difficulter intelligi, cur haec tota complicatio per mortem soluatur. Ergo vera est propositio.

Mortis causa in complicatione febris malignae cum hectica.

§. XXVIII.

Nunc omnino iis locus concedi possent, quae ad Therapiam huius complicationis spectarent. Quum vero partim ex methodo cuiuscunque febris eandem constituere iuuantis appareat: partim etiam tractatio talis extra limites propositi cadat: satis iam dixisse mihi videor, et quae forent aliena, omitto.

PRAESTANTISSIMO
RESPONDENTI
S. D.
PRAESES.

Reddo TIBI dissertationem TVAM, quam mihi ad perlustrandum diiudicandumque obtulisti, eamque a me non mutatam TIBI summa cum animi mei voluptate redde; ibidem solidae doctrinae medicae indicium abundanter deprehensisti. Nihil igitur amplius supererit, quam ut de hoc eruditionis TVAE specimine publico atque alio, quod sollemnitatibus diei sequentis destinasti, nec non de summis in arte salutari honoribus, in TE propediem conferendis, TIBI ex animo gratuler; amice subiuncta ea admonitione, ut in posterum quoque operam des, ne in medicina magis augenda ornandaque studium TVVM desiderari videatur. Atque ita vale meque amare perge! Scr. in Acad. Frider. Cal. Martii A. O. R.

CIO IO CCLXVIII.





ULB Halle
001 516 159


3



56

W 1 P







B.I.G.

Farbkarte #13

1769, 4
16

DE
FEBRIS MALIGNAE
EX
HECTICA ORTV EIVSQUE EVENTV

PRAESIDE
VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
D. ADAMO NIETZKI

PRAECEPTORE AETERNVM SVSPICIENDO
DIE VIII. MART. MDCCCLXVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS LENTNER.
VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS CVRTIANIS.

W.A. 3-6-13

